sur. Si cor tuum indur[atum] [...]
emittet verbum suum et liquefaciet ea. Et iterum: Anima mea
liquefacta est ut dilectus locutus est. Si tepidus es et eno-
rmi formidas: non discedas ab eloquio domini. et inflam-
mabit te: quia eloquium eius ignitum valde. Quod si tenebras
ignorantie plangis. diligenter audi quid loquatur in te dominus
deus: et erit lucerna pedibus tuis verbum domini/ et lumen semi-
tis tuis. Ac fortasse tanto amplius doles quanto clarius
peccata etiam minima illuminatus agnoscis. Sed sanctificabit
te pater in veritate que est utique sermo eius ut inter apostolos
iam merearis audire. Iam vos mundi estis propter sermonem
quem locutus sum vobis. Iam vero cum laveris manus tuas.
ecce paravit in conspectu tuo mensam: ut non de solo pane
vivas sed ex omni verbo quod procedit de ore dei: et in forti-
tudine cibi illius curras viam mandatorum eius verbi. Si consistunt
adversum te castra/ et plurimum temptationis insurgit. arri-
pe gladium spiritus/ quod est verbum dei. et in eo facile triumpha-
bis. Quod si forte ut est etiam nimis consuetudo contigerit
aliquem vulnerari: mittet verbum suum et sanabit te et
eripiet te de interitionibus tuis: ut in te quoque impleatur quod
ait centurio: cuius fides tam magnifice commendatur. Domine
dic tantum verbo: et sanabitur puer meus. Sed si titubas
adhuc. confitere et clama. Mei autem pene moti sunt
pedes pene effusi sunt gressus mei. et in verbis suis
confirmabit te: ut experimento discas quoniam verbo domini
celi firmati sunt. et spiritu oris eius omnis virtus eorum.
In his atque huiusmodi plerumque in talibus iugiter:

N. 8